

1303 Æta, supplementis ex Creta & Eubœa acceptis, septem & viginti triremes habuit. Belletus Justinianus, qui cum imperio ad id bellum est missus, multas Græcorum naves (congregi ne ausas, an per occasionem oppressas, non reperio) in suam potestatem rededit. Omnes Græci generis qui in navibus fuere (quia, credo, eorum fraude Venetum nomen cum Baldoino paucis ante annis fuerat Byzantio ejectum) ad unum laqueo necavit. Inde ad populationem conversus, omni maritima ora, quæ est a Pera ad Argirum, ferro ignique fœde populata, tantum hosti metum injecit, ut pecunia, quæ debebatur, redditæ, pacem penè supplex a Veneto impetrarit. Victoria classis cum quindecim captivorum millibus domum est reducta. Erexerat victoria hæc civitatem, cladibus secundo bello Ligustico acceptis domesticaque conjuratione attonitam, in spem maximam Reipublicæ in meliorem statum retrahendæ: quum Ferrariensis motus in majus quoddam conjectit discrimen.

1307 ⁸⁰³ <sup>Ferrariensi
bellum.</sup> Acciderat diuturna Imperatorum ab Italia absentia, ut clarissimæ aliquot Cisalpinæ Galliæ urbes novos essent Principes sortitæ: ut Scalanos Verona haberet, Mantua Gonzagas, Ferraria Æstenses, cuius familiæ viri anno antea sexagesimo quam hæc gesta sint, Salinguerra ejecto, urbem ipsam pro Romana ecclesia administrare cœperunt: injecto que deinde Mutinæ locisque finitimis fræno, eo usque eorum opes creverant, ut Carolus secundus Neapolitanus Rex, Beatricem filiam Accioni, ea tempestate florenti, in matrimonium locaverit. Hunc Friscus ex aliena uxore, ut ipse prædicare solebat, filius, anno quo Beatricem duxerat, insidiis exceptum in carcerem conjicit, coniectum ad mortem compulit. Mortuo Accione, scelestissimus adolescens principatum parricidio quæsitum, Ferrariensisibus paucis cum ipso Antistite annitentibus, sibi interim firmare studuit: & jam fere omnia adeptus, arcem huic urbi ea parte, qua Bononiam itur, inde Pado accubantem, nondum receperat. Ad eam oppugnandam (quia sine navigiis ob fluminis vicinitatem præsidium domari non poterat) ad Venetorum opes confugit: a quibus auxiliari classe accepta, quum lo-

cum